NOBILISSIMO
CONSTANTINO HUGENIO
Dom. ZUYLICHEMI. SELEHEIMI Com.
ANTRUSTIONI SALICO
Gottifredus Wendelinus. S.

Annus iam præter propter voluitur, ex quo ad TE (VIRORUM NOBILITAS) postremum scripsi; scribere interim interpellatus non semel à Coolsio illo Tuo. Quid me tantum iam moratum fuerit si quæras; hoc mirum est ac magnum NIHIL, quod excusatio habe. Alter iam ac tertius annus currit; ex quo magno serio in id incumbo, uti SALICARUM LEGUM NATALE SOLUM solidè demonstrem; Tuoque iam SELEHEIMO adstruam. Et procedit cum bono Deo hæc cura, iis argumentis suffulta, quæ se mortalibus omnibus (etiam et ipsis Gallis quamlibet invitis) luculenter probent. Atque illa quidem, quotidie plura, magis ac magis sub manu mihi nascentur, locorum seu Mallobergicorum indicio; quæ nobis ad singulos ferme Paragraphos subministrat editio Heroldina, depromta ex Bibliothecis Germanicis ante annos centum; cum qua Lindenbrogius (postremus earum editor ac nuperus) fatetur congruisse ad amussim plures item codices, quos contestatur vetustissimos; quamquam huic prætulerit recentiores, ac secunda (ut autumat) prælectionis.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Wendelinus) 24
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4777

quod ego facinus acri scrutinio vindicandum censuerim.
Interim autem, qua labor meus omnis in TUAM (si
me hoc agere pateris) gloriam desudat, neque autem
is alio tibicine sustentatur hactenus quàm editione
Heroldinâ (non satis ubique accuratâ), quantum ago
NIHIL ago, nisi ope aliqua codicis alterius M.S.
adiuver. nam ex coniectura atque ingenio hic velle
aliquid audere insanum sit et ridendum me proponem.
emunctæ naris sæculo. Profero tamen ex ducentis
amplius Mallobergiorum commemoratis nominibus
Loca supra LXX; quæ clarè atque exsertè supersunt
hodieque ijsdem ad unguem et syllabam nominibus
in Taxandria Francorum Saliorum prima cis Rhenum
ac Mosam sede. quam nunc Kempiniam vocitant.
in qua recte SALEHEIMUM Tuum eminet.
Atque hæc quidem per totam superiorem hiemem me
occupatum habuerunt Bruxellæ habentque hic HERKÆ
visura lucem publicam spero propediem. ad quam
ipsam si TU quoque facem allucere potes Codicis
alicuius communicatione. hoc ut velis per Teipsum
TE oro atque obtestor:; aut si hoc non datur; saltem
ut submittere velis quem audio extare AD LEGES
FRISICAS interpretem antiquitatis eius vindicem.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Wendelinus) 24
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4777

ls mihi Bruxellæ per omnes Bibliothecas frustra
fuit quæsitus: et est tamen (quantum odoror) doctus
atque antiquitatis nostratis probè gnarus. ideoque (cum
FRISICÆ LEGES sint SALICARUM Germanæ) mihi
quadamtenus necessarius. Si quo Tuo id commodo
impetrari poterit ad me transmittendum perferre, qui
hasce Tibi tradet Adolescens civis meus Bonus BONIS
nec de plebe natus: quique HAGAM petit acturus
cum affine suo GELESERO: apud quem esse erit
optatissimus, erit tamen etiam de TUA (quam imploro)
commendatione optatior ac gratiosior. Dum TE
SELEIMUM tuum accipiat, dum iller ego Te coram
Venerer (quod utinam propediem fiat!) interim habe me

NOBILISSIME DOMINE

Herâ Nonis Mai.
1698.

TUUM
Vero cultu officiosum
Gottfredum Wendelinum

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Wendelinus) 24
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4777

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Wendelinus) 24
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4777

ad 24

Nobilissimo Viro
CONSTANTINO HUGENIO
Dom. Zuylichemi Selehemi Com.
Cels. Aurasiense ab
Arcanis et Consilijs
Hagam Comitis

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Wendelinus) 24
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4777

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Wendelinus) 24
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4777